



Theologiae Moralis Super Decalogum Seu Decem Dei Praecepta Pars ...

Tractatus I. Prooemialis De Principiis communibus Doctrinae Moralis,
Conscientia, Actu Humano, Et Peccato In Genere

Sporer, Patricius

Salisburgi, 1713

Caput VII. De Causis Peccatorum, & Peccatis capitalibus, strictim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59488](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59488)

laudato res ipsa displiceat, & solum præ vere
ndia taceret, non peccaret. Nav. n. 15. Sanchez
n. n. 10.

IV. Idem dicendum de audientibus alium se ja-
ntem vel jactatum de peccato mortali. Si enim
admirentur, complaceant, ac velut laude dignum
suspiciant ipsum opus malum, mortaliter pec-
cat: quia est vera approbatio operis mortalis. Se-
ntis, si solum admirentur, suspiciant, complaceant
male operantis viribus, arte, industriâ &c.



CAPUT VII.

DE

CAUSIS PECCATORUM,

ET

Peccatis Capitalibus.

Peccatorum causæ, aliæ per se sunt, & effecti-
væ, nimirum homo peccans, ejusque libera
voluntas, cum objecto & cæteris concurrentibus
requisitis, hætenus latè satis explicatis. Aliæ sunt
causæ per accidens & inductivæ: & hæc rursus aliæ
extrinsecæ, ut homo alliciens, dæmon tentans: ad-
dunt blasphemè Hæretici, Deus permittens. Aliæ
verò intrinsecæ ex parte ipsius hominis, & nume-
rantur communiter tres: ignorantia, infirmitas,
malitia. His affines sunt consuetudo, & contem-
ptus.

ptus. Denique vulgata illa septem vitia capitalia ideo dicuntur, quod plurimum aliorum peccatorum causa sint. Quae singula ordine & strictim explicanda sunt. Alia de peccatorum causis & effectibus scholastica sunt & speculativa, ideoque, quia supra nos, nihil ad nos.

SECTIO I.

Peccatum ex ignorantia, infirmitate, malitia, remissive.

SUMMARIUM.

47. Peccatum ex ignorantia ex parte intellectus quid?
 48. Peccatum ex infirmitate ex parte appetitus quid?
 49. Peccatum ex certa malitia ex parte voluntatis quid?
 50. Et hoc prioribus gravius.

I. Peccatum ex ignorantia

(ex parte intellectus)

47 **D**icitur, quod committitur ex ignorantia juris, vel facti, vincibili, & culpabili, non tamen affectata. Peccatum enim ex ignorantia affectata commissum, potius ex certa malitia dici meretur. Nam, ut ait *S. Gregor. l. 21. Moral. c. 11. Nescire ignorantia est: nolle autem scire, superbia.* De his sufficienter dictum. *c. 2. sect. 4.*

II. Peccatum ex Infirmitate

(ex parte appetitus)

48 **D**icitur, quod ex vehementi passione appetitus sensitivi, seu sensualitatis passione, sive naturaliter, sive ex instinctu diaboli excitata, committitur. Ut si ex vehementi motu sensualitatis pecces contra castitatem; ex vehementi ira

passione percutias, occidas &c. De his actum
ad. §. 4. Meritò autem passiones illæ dicuntur
hominis infirmitas: quia debito statui rectitudinis,
velut morali valetudini hominis adversantur,
que ad mortem spiritualem peccati disponunt.

III. Peccatum ex certa malitia

(ex parte voluntatis)

Dicitur, cum quis, neque ex intellectu igno- 49
rantia, vel errore aliquo; inductus, neque
appetitùs vehementi aliqua passione impulsus,
sed sciens, volens, liberè, ex mera voluntatis per-
versitate peccat, v. g. inebriatur, scortatur &c.
hoc.

IV. Tertium prioribus gravius,

(ceteris paribus.)

Quia enim ignorantia difficulter vincitur, ut
plerumq; homo se solo vincere non possit,
sed egeat ope vel informatione extrinseca, hinc
peccatum ex ignorantia, ceteris levius est, &
magis excusabile. Et quia infirmitas seu passio
appetitùs sensitivi, multum quidem & valde in-
clinans ad peccatum, impediendo liberum indif-
ferens, ut suo loco dictum, facilius tamen, vincitur,
non potest & debet vinci à voluntate, juxta illud
Genes. 3. *Sub te erit appetitus tuus, & tu domi-
naberis illius*: hinc peccatum ex infirmitate priori
gravius est, minusque excusabile. Denique
quando, & ignorantia, & infirmitatis passio de-
est, sed scientia & libertas omnimoda, atque pec-
catum ex certa & mera malitia, utique ceteris
longè gravius, & nulla omninò excusatione dig-

num erit. Lege S. Thomam. I. 2. q. 76. 77. 78. B.
Bonaven. in 4. d. 22. art. 2. q. 3.

S E C T I O II.

Peccatum ex consuetudine.

S U M M A R I U M.

51. Peccatum ex consuetudine explicatur.
52. Scilicet consuetudinem contrahens peccandi in materia aliâs mortali, dupliciter peccat mortaliter.
53. Et sub mortali operam dare tenetur, ut eam deponat.
54. Ac illam etiam in Confessione fateri tenetur.
55. Si verò adhibito conatu eam deponere non potuerit, actus ex ea naturali quasi impetu erumpentes ad peccatum imputari non possunt.

51 **D**icitur, quod vi habitûs per frequentatos actus acquisiti, quasi naturali impetu, & omninò indeliberatè committitur. Ut sunt jam toto orbe communissima peccata blasphemandi, pejerandi, detrahendi, mentiendi, &c. addunt aliqui non malè consuetudinem delectandi morosè in venereis; quando nimirum quis toties consentiendo voluntariè in eas delectationes, jam ita habitum induit, ut quacunque data occasione, nihil ampliùs deliberando, quasi naturaliter admittat. Cæterùm ejusmodi actus peccaminosos, ex naturali impetu inveteratæ consuetudinis, atque omninò indeliberatè factos, formaliter peccata non esse, neque formales blasphemias, perjuriam, detractationes, &c. censerî posse, constat apud omnes, & notat etiam Scotus in 3. d. 39. Solum ergo explicandum est, qualiter peccata sunt in sua causa, scilicet ipsa consuetudine contracta, & non deposita. Ex communi doctrina apud Sum-

Sanchez lib. 3. Moral. c. 5. n. 28. Laym.
I. tract. 2. c. 3. n. 6. breviter sic accipe.

I.

Cienter, & voluntariè frequentatis actibus
contrahens consuetudinem peccandi : v. g.
qui deliberatè frequentat blasphemias, simul ad-
terrens sensim sibi consuetudinem blasphemandi
generari, graviter, & dupliciter peccat morta-
ter. I. Ipsa actuali blasphemia, vel simili pec-
cato voluntariè ponendo causam secuturis blas-
phemiis, vel similibus malis. Licèt enim se-
cundum blasphemiam ex consuetudine vel habitu con-
tracto formaliter peccata non sint, ob defectum
voluntarii, si omninò indeliberatè, & naturali
quasi impetu fiant, ipsa tamen voluntas ponendè
causam, scilicet consuetudinem per fre-
quentatos actus, sufficienter voluntaria fuit, ideo-
que duplicatam sortitur malitiam, & ab actu deli-
beratè frequentato, & à prævisis secuturis actibus
indirectè saltem volitis, etsi materialiter tantum
malis. Rationem pete ex dictis *cap. preced. de*
delectatione, & desiderio rei materialiter tantum
male num. 31. atque hinc porrò.

II.

Ille, qui voluntariè ita contraxit consuetudi-
nem peccandi, blasphemandi, pejerandi, &c.
tenetur sub peccato mortali operam dare, ut eam
consuetudinem vincat, atque deponat. Quia
advertens quis suam pravam consuetudinem blas-
phemandi, & quantum potest deponere non co-
nstat, censetur eam velle, & approbare; & conse-
quenter

M m a quèn=

quenter etiã indirectè censebitur velle ipsas blasphemias ex illà consuetudine factas: ideòq; peccat formaliter, & manet in continuo statu peccati mortalis omissionis; atque ipsæ blasphemias sic factæ adhuc ei in peccatum imputantur, tanquam indirectè voluntariæ in sua causa, mala scilicet consuetudine voluntariè non ablata: & graves deordinationes contra virtutem Religionis, & cultûs divini, ea ratione, quâ *supra c. 2. sect. 3. a n. 23.* de voluntario indirecto dictum est. Et hinc ulterius.

III.

§4 **I**lle, qui voluntariè contraxit consuetudinem peccandi, blasphemandi, pejerandi, &c. in primis non satisfacit in Confessione, si dicat, se toties, *trigesies centies*, deliberatè blasphemasse, &c. sed dicere etiam debet, se ita continuo frequentasse blasphemias deliberatè, ut jam consuetudinem sibi blasphemandi quasi naturalem induxerit, ob rationem jam supra dict. n. § 2. Deinde, plerumque non sufficit, talem hominem dolere de præteritis peccatis, blasphemias, perjuriis &c. atq; firmum abstinendi propositum concipere; sed requiritur propositum ita efficax, quod se extendat etiam ad propinquas occasiones, & pericula blasphemandi, vel pejerandi cavenda, & tollenda, quatenus fieri potest sine magno incommodo: uti cum *Sayro, Valentia, & aliis* optimè notat *Layman cit. num. 6. ante fin.* Unde & Confessarius quoque talem compellere potest, & debet ad fugiendû lusus, potationes, & similia, quibus blasphem

phemandi vel pejerandi consuetudinem exercet, atque confirmat: non item ad deserendam mercatoriam, officium militare, aurigandi, vel similia, quæ sine gravi suo incommodo deserere non possunt. Vide *Sanch. l. c.*

IV.

Denique postquam poenitens pravam consuetudinem ita blasphemandi, pejerandi, &c. efficaci proposito retractavit, debitumque conatum eam deponendi, atque cautelam adhibuit, tunc consequentes blasphemiam, &c. ex vi ejusdem consuetudinis, inculpabiliter contra voluntatem, & conatum tuum remanentis, quasi naturali ac necessario impetu erumpentes, nullo modo amplius ad peccatum imputari poterunt: quia tunc non sunt amplius ullo modo voluntariae, neque in se directe, ut supponitur: neque indirecte in sua causa, scilicet consuetudine, etiamsi voluntarie contracta, jam tamen voluntarie, & efficaciter retractata, ut amplius voluntaria censeri non possunt.

S E C T I O III.

Peccatum ex contemptu.

S U M M A R I U M.

16. Quid sit peccatum ex contemptu.
17. Transgressio cujuscunque legis, in quavis materia, etiam minima, est peccatum mortale;
18. Et speciale formalis inobedientie.
19. Et fiat ex contemptu, non item ex contemptu tantum.
20. Ex contemptu scilicet formali (quo contemnitur lex, vel Superior ut talis)
21. Et injusto.

M m 3

2. Quod

62. Quod maxime verum est, si talis transgressio sit legis divine.

56 **P**eccatum ex contemptu dicitur, quod ex contemptu legis vel Legislatoris committitur: sive, uti explicat S. Thomas, cum quis idè peccat, legem vel præceptum transgreditur, quod nolit esse subjectus legi, ex affectu indignationis erga legem, Legislatorem, ejusve legislativam potestatem.

ASSERTIO.

Transgressio cujuscunque divina vel humana legis vel præcepti, in quacunque materia, quantumvis minima, ex contemptu formali, injusto ipsius legis, vel legislatoris, præcepti, vel præcipientis, est peccatum mortale, & speciale formalis inobediencie. Doctrina certa, & Orthodoxa.

EXPLICATIO.

571. **A**ssertionem inter alios SS. Patres perspicue docet D. Bernardus l. de præcepto, & dispensat. inter alia dicens: *Contemptus in omni specie mandatorum pari pondere gravis & communiter damnabilis est. Sive enim Deus, sive homo Vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendum; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo. Item. Ubique, & neglectus culpabilis, & contemptus damnabilis est.* Hæc Bernardus. Similia alii Patres passim.

II. Ratio ex Scriptura Sacra desumpta est. Quia transgredi legem vel præceptum ex formali, &

Et in iusto contemptu legis vel præcepti, aut legis-
latoris vel præcipientis, est directè, & formaliter
contemnere ipsam potestatem legislativam Super-
ioris: atqui contemnere ipsam potestatem legis-
lativam, utpote à Deo ordinatam, de se est gravif-
sima injuria in ipsum Deum, ejusve sapientif-
simam ordinationem, uti demonstrat Apostolus
Rom. 13. *Non est potestas, nisi à Deo. Quæ
autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui re-
sistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui au-
tem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Uti-
que pœnam peccati mortalis: maximè autem re-
sistunt potestati, qui eam contemnunt: ergo ex
formali contemptu transgredi legem vel præcep-
tum de se peccatum mortale est.

III. *Et speciale formalis inobedientia.* Quem 58
admodum enim obedientia omnium virtutum in
observatione præceptorum versantium generalis
conditio est, at specialis virtus efficitur, cum quis
opus præceptum exequitur cum formali inten-
tione ac motivo obediendi, & satisfaciendi præce-
pto, adeò ut talis eodem actu, v. g. servando jeju-
nium præceptum, simul exerceat actum duplicis
virtutis, & temperantiæ, & obedientiæ formalis:
ita quidem inobedientia omnium peccatorum
contra leges vel præcepta commissorum generalis
quædam conditio est, at verò efficitur speciale
peccatum formalis inobedientiæ, si legem vel
præceptum violes formali, & directâ intentione
non obediendi: quod ipsissimum fit per forma-
lem contemptum præcepti vel præcipientis: adeò

ut ex formali contemptu præceptum v. g. jejunii violans, uno actu duplex peccatum committat, & intemperantiæ contra legem jejunii, & formalis inobedientiæ per contemptum legis: estque hoc posterius peccatum gravius priori, ideoque in confessione necessariò explicanda hæc circumstantia contemptus tanquam speciem mutans, seu novam diversam peccati speciem constituens, ut cum *Valent.* & aliis observat *Sanchez l. I. Moral. c. 5. n. 9.*

IV. Jam ulterius. Atqui etiam in re levissima resistere divinæ ordinationi, eamque contemnere, semper est peccatum mortale, quia est injuria directè contra infinitam perfectionem Dei, nimirum sapientiam, æquitatem, juxta dicta *supra c. 5. n. 14.* ergo transgredi legem vel præceptum ex formali contemptu, etiam in re levissima, semper erit peccatum mortale. Quod quidem adeò verum est, ut non solum ea, quæ præcepta sunt, sed etiam, quæ sub consilio tradita sunt a Christo vel Ecclesia, puta, status Religionis, extrema Unctio, usus aquæ benedictæ, &c. ex formali contemptu negligere mortale sit ob eandem rationem, teste Cajetano. *v. contemptus.* Navarro *c. 23. n. 41.* Consentit Glossa *inc. Quis autem. d. 10.* Aliud est contemnere: aliud non parere. Nam consilio sine culpa non pareretur; sed non sine culpa contemnitur. Addit *S. Thomas 2. 2. q. 182. a. 9.* ab omnibus receptus: Etsi statuta Ordinis Prædicatorum (idemque est de statutis Fratrum Minorum, exceptis iis, quæ per obedientiam, vel
sub

ab excommunicationis poenâ statuuntur) non obligent ad culpam, sed tantum ad poenam, nihilominus eorum transgressionem ex contemptu formali esse mortalem, ob eandem rationem. Nam verò, ut assertio rectè intelligatur, observemus, notanter enim dictum est.

§. I.

Ex contemptu: non item cum contemptu tantum. Differunt hæc. *Ex contemptu* transgredi legem vel præceptum est, quando contemptus est causa transgressionis, sic: ut ideò quis non voluit servare legem vel præceptum, quia contempnit præceptum vel præcipientem; & si abesset talis contemptus, non transgrediretur: & hoc est peccatum semper mortale, & speciale inobedientia. *Cum contemptu* tantum transgredi legem vel præceptum est, cum quis quidem defacto contempnit præceptum, vel præcipientem, is tamen contemptus non est causa, vel motivum transgressionis: sed, sicut stante illo contemptu, posset adhuc servare legem, ex alio motivo, utpote, quia timet poenam, vel observatio ipsi opportuna est: ita etiam, absente illo contemptu, adhuc transgrediretur legem ex alio motivo, vel vitiosa affectione. Et hoc casu ipse contemptus legis vel superioris erit peccatum mortale, vel veniale, prout injustus, gravis, vel levis fuerit: & transgressio legis erit simplex, pro ratione materiae gravis vel levis, mortalis vel venialis absque speciali peccato inobedientia formalis: quod bene nota-

tandum monet *Marchant. Tribus. tom. 2. Tract.*
I. tit. 9. q. 2. append. 2.

§. II.

50 *EX contemptu formali*: quo nimirum contem-
 nitur lex vel præceptum ut tale, & Superior,
 quatenus legem ferens vel præcipiens est; adeò, ut
 quis ob hoc ipsum nolit obedire, faciendo præ-
 cepta, vel omitendo prohibita, quia præcepta,
 vel prohibita sunt: vel quia Superior præcepit, vel
 prohibuit. Hoc enim est formaliter, & directè
 contemnere potestatem à DEO ordinatam, cum
 gravissima injuria non tantum Superioris, sed et-
 tiam ipsius DEI, ideòque semper peccatum mor-
 tale. Ut cum Ecclesia præcipit jejunium, Præ-
 latus Religiosus silentium, Magistratus tributum,
 vel ne quis armatus noctu incedat: &c. Tu au-
 tem, fortè aliàs talia libenter facturum, tamen ob
 hoc ipsum, quia præcepta sunt, non vis jejunare,
 silentium servare, tributum pendere, armatus in-
 cedis, &c. peccas semper mortaliter, quia ex for-
 mali contemptu legem transgredieris. Secus di-
 cendum de transgressione legis ex contemptu ma-
 teriali tantum præcepti vel præcipientis. Nam
 ex contemptu materiali ipsius legis vel præcepti,
 transgreditur, qui solum ipsam materiam præce-
 ptam parvi æstimat, levem censet vel inutilem, &
 ideò contemnens negligit præceptum. Ut si Reli-
 giosus frangere silentium, unum haustum in civi-
 tate facere, bona fide, levem materiam, & parvi
 momenti judicet, & ideò secus faciat, culpam veni-
 alem minimè excedet. Ex contemptu verò ma-
 teriali

eriali ipsius Superioris legislatoris, vel præcipi-
entis legem vel præceptum transgreditur, qui so-
lum contemnit ipsam personam Superioris se-
cundum se, quatenus talis homo est, ineptus, de-
fectuosus, malitiosus, & ideo ex quadam indigna-
tione vel aversione erga ipsum hominem talem,
minimè verò ipsam potestatem, præceptum ejus
negligit: & tunc speculativè loquendo, ultra
peccatum contemptus personæ majus vel minus,
vel fortè nullum, si contemptus vel indigna-
tio justa esset, manebit transgressio legis sim-
plex, gravius, vel levius, pro ratione materiæ,
obscureque speciali peccato formalis inobedienciæ:
practicè verò valde periculosum est, ne subrepat
contemptus etiam formalis ipsius potestatis in tali
persona contempta residentis. Ideoque ex con-
temptu personæ Superioris negligere vel trans-
gredi legem plerumque esse peccatum mortale,
bene notat Lessius l. I. c. 46. n. 45. *communi Do-
ctorum assensu.*

§. III.

EX contemptu formali injusto, qualis semper
est, quando manifestè non constar de injusti-
tia, vel inutilitate legis, vel præcepti. In dubio
enim subditus tenetur se conformare sententiæ
Superioris, uti c. 1. num. 95. dictum fuit. Secus
dicendum, quando contemptus esset justus: ut-
pote, si absque tergiversatione constaret, præce-
ptum esse injustum, inutile, reum tantâ pœnâ mi-
nimè dignum, &c. Tunc enim meritò con-
tineretur, ac negligeretur à prudenti, & probò
viro,

viro, etiam formaliter. Neq; talis contemptus ullo modo redundaret in injuriam potestatis ordinatæ à Deo; cum nulla potestas sit à Deo ordinata & collata homini ad præcipiendum aliquid injustum vel inutile. Interim tamen monent omnes Doctores, maxime cavendum subditis, ne leges vel præcepta Superiorum temerè judicent, sed ubi manifestè non contat, legem esse iniquam, vel inutilem, semper in favorem legis ac præcipientis judicent, atque supponant, Superiores causas habere, cur ita præcipiant. Alioquin facillimè ignorantia, errore, vel pravo affectu, & inclinatione propriæ libertatis decipientur. Et hac ratione verum esse potest vulgatum illud dictum D. Gregorii *hom. 26. in Evang. Sententia Dûctoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est.* Hoc est, non temerè statim contemnenda, quousque manifestè esse injustam constiterit, uti communiter glossant Doctores.

§. IV.

§2 **H** Actenus de transgressione humanæ legis vel præcepti potissimum sermo fuit. Strictius omnino loquendum quoad transgressionem Legum divinarum. Nam 1. Omnis transgressio legis vel præcepti divini etiam de re minima, v.g. non esse otiosè loquendum, mentiendum, &c. ex quocunque seu formali, seu materiali contemptu ipsius Legislatoris Dei sine dubio semper est peccatum mortale gravissimum. 2. Etiam ex contemptu formali ipsius præcepti cum relatione ad Deum ac potestatem divinam; quia nimirum, ser-

servando illud leve præceptum, non vis Deo sub-
 re, mortale est, & gravissima Dei injuria. 3. E-
 iam ex contemptu ipsius præcepti divini, absque
 multiplicata relatione ad Deum, vel absque omni po-
 tentiæ divinæ contemptu, ut si velis mentiri, quia
 præceptum illud vilipendis quasi inutile, & va-
 num; iterum mortalis culpa est, secundum o-
 mnes, continet enim gravem contra DEUM blas-
 phemiam: qualem etiam contineret, si quis con-
 silia Christi Domini, quasi inutilia & vana ne-
 gligens vilipenderet. 4. Denique ex contemptu
 mere materiali ipsius rei præceptæ, ut si velis
 transgredi præceptum, mentiendo non quòd
 præcipientem ipsum, vel præceptum vilipendas,
 sed quia rem ipsam, scilicet ita jocose, sine ullius
 documento, mentiri leve quid judicas, cujus
 non multum intersit, solum venialem culpam
 continere longè probabilius, contra Sanchez! I.
 Moral. c. 5. n. 11. nimis rigorosè locutum, cum
 Layman. l. 1. Tract. 3. c. 7. n. 6. docet Tambu-
 rinus l. 1. c. 1. §. 4. n. 8. Ratio est, quia in hoc
 casu non parvipenditur, nisi res levis, & non nisi
 remotissimè redundans contra Deum. Tunc ea-
 nim voluntas mea resolvitur in hunc modum:
 Contemno rem levem, quia levis est: Nam si esset
 gravis, aut cederet in gravem injuriam Dei, non
 contemnerem.

SECTIO IV.

Peccata capitalia strictim explicata.

SUMMARIUM.

1. Peccata capitalia (sic dicta, quòd sint omnium aliorum
 radi-

radices) sunt septem Superbia, Avaritia, Luxuria,
Invidia, Gula, Ira, Acedia,

64. Quid sit Superbia? quando peccatum mortale, quando veniale?

65. Quid sit Avaritia: quando mortale, quando veniale?

66. Definitur, & explicatur breviter. Luxuria cum suis speciebus: fornicatione; stupro; raptu; adulterio; incestu; sacrilegio: peccato contra naturam, & impudicitia.

67. Definitur, & explicatur Invidia.

68. Definitur, & explicatur Gula. Et occasione huius

69. Definitur, & breviter explicatur Ebrietas,

70. Definitur, & explicatur Ira,

71. Explicatur Acedia.

63 **P**eccata capitalia communiter enumerantur septem, indicata hac dictione SALIGIA, singulis litteris ordine indicantibus litteras initiales peccatorum Superbia. Avaritia. Luxuria. Invidia. Gula. Ira. Acedia. Dicuntur autem Capitalia: vulgò etiam Mortalia, non quòd de se semper mortalia sint, sed quòd sint velut *capita* radices, origines & causæ omnium aliorum peccatorum, & totius perditionis humanæ. Strictim ergo, & purè assertoriè quid & qualia peccata sint, definiam, absque allegatione Autoritatum & rationum, cum nulla sit specialis controversia.

§. I.

Superbia

64 **D**efinitur: *Inordinatus appetitus propria excellentia*. Sic dicta; quòd quis in donis naturalibus, & supernaturalibus inordinatè appetat ipse excellere vel eminere *super alios*, ac velut a-

hos *superire*. Hujus quatuor gradus assignantur
 a D. Gregor. & aliis. 1. Cum quis appetit ha-
 bere, vel videri habere bona, quæ reverâ non ha-
 bet. 2. Cum quis appetit habere, vel videri ha-
 bere bona à se ipso, & non ab alio, maximè DEO.
 3. Cum quis agnoscens se habere bona sua ab alio,
 DEO maximè, tamen appetit habere, vel videri
 habere tanquam sibi, suisque meritis vel industria
 debita, non ex gratia. 4. Cum quis bona sua
 appetit habere, vel videri habere singulariter,
 eminenter cum contemptu aliorum.

II. Superbiæ duæ sunt filiæ: **AMBITIO**, quæ
 est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ in
 honoribus vel dignitatibus non debitis, vel de-
 bito majoribus: & **VANA GLORIA**, quæ est
 appetitus inordinatus manifestationis propriæ ex-
 cellentiæ, seu humanæ laudis, & gloriæ. Hujus,
 penes diversos modos, quibus quis conatur mani-
 festare propriam excellentiam, rursus quatuor
 sunt species, 1. *Faustantia*, est declaratio inor-
 dinata propriæ excellentiæ per verba tantum. 2.
Ostentatio est delectatio inordinata propriæ excel-
 lentiæ per facta vel signa, ut pompa gestuum, ve-
 stitum, conviviorum, &c. quò spectat inventio
 novitatum. 3. *Presumptio* est declaratio inor-
 dinata propriæ excellentiæ per aggressionem fa-
 ctorum vires suas excedentium. 4. *Hypocrisis*
 est declaratio ficta propriæ excellentiæ per facta
 vel signa ficta, & falsa: idque dupliciter. I. Cum
 quis vult esse malus, foris tamen videri bonus,
 intuitu gloriæ. II. Cum aliquis solum non exi-
 stens

flens bonus, tamen foris vult videri bonus, ob intuitum gloriæ. Denique ad Superbiam pertinent, vel ex ea nascuntur, pertinacia, discordia, contentio, inobedientia, aliæque innumera peccata.

III. Superbia completa, quâ quis appetit excellere, seu eminere absolute respectu omnium, etiam ipsius Dei, adeo ut neque ipsi Deo subesse velit, qualis defacto est superbia diaboli, peccatum mortale longè gravissimum, nemine dubitante: quemadmodum etiam conjuncta est cum gravi injuria, & contemptu Dei: ut cum quis bona sua æstimat se habere, vel vult videri habere non à Deo, sed à se, aut dolet se ea habere à Deo, aut saltem meritis, & industriæ suæ debita æstimat, vel æstimari vult. Et quamvis incredibile videri possit, hominem rationalem creaturam eò demeritissimæ superbiæ progredi, ut in hujusmodi appetitum deliberato, & pleno actu voluntatis consentiat, certè tamen fit indirectè, & tacitè, adeo nim. extollendo se de bonis suis, maxime ingenii, industriæ, fortitudinis, divitiarum, fortunæ, &c. absque omni relatione in DEUM, ut reverà censeantur æstimare, se illa habere à seipsis, non à Deo; & dicere illud Deut. 32. *Manus non sua excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Qui proinde non possunt excusari à mortali, ob gravissimam Dei, omnium bonorum principii auctoris, injuriam.

IV. Superbia incompleta, quâ quis salva subjectione erga DEUM, & eos, quibus subjectio debetur;

beatur, in aliis inordinatè super alios excellere appetit, quemadmodum, & ambitio, vana gloria, jactantia, ostentatio, presumptio, hypocrisis non veniosa, per se peccata solum venialia sunt. Quia appetitus propriæ excellentiæ habendæ vel manifestandæ ex natura indifferens est, & ordinatus in bonum finem bonus, & meritorius esse potest. Licet enim appetis habere vel manifestare excellentiam tuam in virtute, scientia, dignitate, fama, in ordine ad Dei gloriam, proximorum salutem, propriæ famæ tutelam. Quia ratione viri Sanctissimi se laudârunt. Certè Apostolus 2. Cor. 11. Catalogum laudum suarum texit, hoc exordio: *Hebræi sunt: & ego. Israelita sunt: & ego. Semen Abrahæ sunt: & ego. Servi Christi sunt: & ego. (ut minus sapiens dico) plus ego.* Quod si ergo talis appetitus inordinatus sit, & ad finem debitum, scilicet solam propriam complacentiam, erit sanè peccatum, non tamen per se grave, ut potest excessus in re indifferenti. Per accidens autem peccatum grave, & mortale erit: 1. Si prædicta superbia, vana gloria, jactantia, &c. conjuncta sint cum gravi contemptu proximi, ut si superbiendo de tua excellentia, asperneris ac reprobes villem proximi statum, quasi complacendo tibi in ejus vilitate. 2. Si conjuncta sint cum gravi damno proximi. Ut si jactes te magnum Doctorem, Concionatorem, Juristam, Medicum &c. cum detrimento aliorum Doctorum, &c. vel damno populi. 3. Si sint causa aliorum peccatorum. Res nimis nota. 4. Si fiant ad malum.

finem, cum scandalo, vel alio modo ex iis, quibus veniale fit mortale, juxta dicta cap. 5. n. 32. & seqq.

§. II.

Avaritia.

65 I. **A**varitia definitur: *appetitus inordinatus habendi*, seu immoderatus amor, cura, & sollicitudo acquirendi, ac retinendi pecunias, divitias, seu bona temporalia. Opponitur virtuti liberalitatis secundum excessum: & per se, ex genere suo solum peccatum veniale est: utpote excessus in re aliàs indifferenti ac licita, juxta regulam traditam c. 5. num. 31. At verò per accidens nimis sæpè mortale fit.

II. Avaritia fit peccatum mortale, quando repugnat Charitati Dei, quando scilicet homo ad eò inordinatè, & immodicè appetit divitias, ut in eis ultimum finem constituat, paratus ob eas legem Dei violare; atque ad eò amicitiam Dei, curamque salutis omninò postponat vel excludat: quod significare voluit Christus Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis servire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diligit; aut unum sustinebit, & alterum contemnet* (statim intulit) *Non potestis Deo servire, & mammona.* Ita scilicet in divitiis totum affectum, curam, sollicitudinem, spem, ac velut ultimum finem constituatis; sic enim, Deò contemptò, mammonæ pro Deo servietis. Unde emphaticè Apostolus avaritiam *dolorum servitutem* appellavit. Idque verum est

neream morosam directè voluntariam, est semper peccatum mortale, uti *c. 5. num. 18.* probatum est. Hujus septem sunt species, fornicatio, adulterium, stuprum, raptus, incestus, sacrilegium, peccatum contra naturam: quibus accedit impudicitia. Filiæ verò, & malæ soboles hujus maximè capitalis peccati enumerantur à D. Gregorio octo. Cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, Amor sui, odium DEI, amor mundi, horror futuri sæculi. Species breviter definitio ex sexto præcepto Decalogi.

II. FORNICATIO simplex est Concubitus naturalis illicitus, soluti cum soluta. Est peccatum mortale ex natura sua, adeòque non tantum lege divina vel humana positiva, sed naturali jure prohibita. Alia dicitur vaga more pecudum, modò cum hac vel hoc, modò cum illa vel illo. Alia determinata saltem ex parte fœminæ dicitur concubinitus & respectivè simplex, adulterinus, sacrilegus, incestuosus, &c. Cujus aggravans malitia est perseverantia voluntatis in peccato, quòd nimirum concubinarius non tantum peccet fornicando, sed etiam in continuo saltem virtuali proposito peccandi perseveret, quamdiu nimirum concubinam voluntariè detinet. Unde absolvi non potest, nisi certò promittat illam dimittere, quamprimùm absque graviore damno poterit: & secundò reverso, concubinâ sine justa causa nondum ejectâ, absolutio neganda.

III. STUPRUM strictè sumptum est Concubitus cum Virgine per vim coactâ. Ideòque præ-

ter peccatum mortale fornicationis, continet aliam speciem peccati contra iustitiam, gravissimè scilicet injuriæ, & damni illati virgini, & consequenter ejus parentibus, & inducentem obligationem ad omnia damna inde consequentia compensanda; ut nim. stuprator vitiatam aut ducat uxorem, aut honestè dotet. Quòd si tamen puella ob illatum stuprum nullum aliud damnum passam fuit, puta, quia factum occultum mansit, & æquè honestum matrimonium consecuta est, probabile est, ad nullam restitutionem obligari stupratorem ante judicis sententiam. Quia pro injuria, seclusò damnò, nulla debetur restitutio, sed pœna à Judice.

IV. RAPTUS generatim dicitur abductio violenta sceminæ cujuscunq; in alium locum ad exercendam libidinem: quæ si virgo sit, effectu violentè secuto, non nisi valdè accidentaliter differt à stupro eadèmq; ratione culpæ, & obligationi restitutionis obnoxius erit raptor. Si conjugata, vidua, non virgo, censetur potiùs oppressio, partiq; ratione sequetur obligatio compensandi damna secuta sceminæ oppressæ. Strictiùs autem raptus dicitur similis abductio violenta puellæ seu Virginis, seu non virginis è domo vel potestate paterna in ordine ad contrahendum cum ea matrimonium; & sic ultra peccatum mortale, novo jure, est impedimentum dirimens matrimonium; quod neque validari poterit, nisi puella loco tuto reddita de novo liberè consentiat.

V. ADULTERIUM est concubitus illicitus

in alieno thoro: & siue sit, aut conjugati cum soluta, aut soluti eum conjugata, aut conjugati cum conjugata, quod dici solet adulterium duplex, est semper peccatum mortale gravissimum multiplicis malitiæ mortalis; puta contra castitatem, & contra iustitiam, violando jus alterius conjugis, & ordinariè insuper causa maximorum, & vix compensabilium damnorum, quando nimirum proles ab adultera concepta est. Ipse quidem adulter, si ex assertione adulteræ ligatæ, aliisve sufficientibus argumentis ac indiciis credat, vel credere debeat prolem ex se genitam esse, in conscientia obligatur ad restitutionem faciendam, imprimis patri putatio pro sumptibus necessariis factis in alenda, educanda, dotanda prole spuria: deinde reliquis legitimis pro damno, quod per prolis intrusæ successionem patiuntur: idque in toto, vel in parte, prout adultera ad restitutionem cooperari multum vel parum potuerit. Ipsa autem adultera non tenetur apperire suum adulterium, neq; marito, neque proli illegitimæ, ad avertenda damna inde emergentia marito, & proli legitimæ; tenetur tamen in conscientia compensare illa damna, quantum in se est, & salvâ vitâ, & famâ suâ, est possibile.

VI. INCESTUS est Concubitus illicitus inter consanguinitate vel affinitate junctos. Peccatum mortale gravissimum duplicis malitiæ, & contra castitatem, & contra pietatis, personis conjunctis debitæ, virtutem: eoque gravius, quo vicinior gradus est, & linea recta: omnium gravissimum est

In primo gradu lineæ rectæ, v. g. patris cum filia, filii cum matre. Unde eas circumstantias graduum, & lineæ in Confessione explicandas esse, monui *c. 3. num. 20.* Quod si quis cognovit consanguineam uxoris suæ, vel econtra, copulâ legitimâ, intra primum, & secundum gradum, consummatâ tamen intra vas naturale, ante contractum matrimonium est impedimentum dirimens; post contractum verò amittit jus petendi debitum: quamvis adhuc reddere teneatur, quod obiter hîc notare placuit.

VII. SACRILEGIUM carnale, & personale est concubitus illicitus personæ aut sacræ cum non sacræ, aut non sacræ cum sacræ, aut sacræ cum sacræ; isque vel naturalis, vel innaturalis, &c. intelligendo semper personam sacram solemniter per Professionem Religionis approbatæ, aut susceptionem sacri Ordinis. Peccatum mortale gravissimum, & speciale contra virtutem Religionis. Quamvis autem etiam voto simplici castitatis adstrictus, castitatem violans contra Religionem peccet, & eam circumstantiam in Confessione exprimere teneatur, secundum omnes: quia tamen per illud votum, utpote ab Ecclesia solemniter non acceptatum, non fit persona sacræ, ideò non dicitur committere sacrilegium. Aliud dicitur sacrilegium carnale locale, quod committitur in loco sacro: sed de eo alibi *c. 3. n. 25.* ubi de circumstantia *Ubi. & Tr. 2. c. 10. Sect. 4. per tot. ex professo.*

VIII. PECCATUM CONTRA NATURAM.

Nr 4

RAM. I. Bestialitas est concubitus carnalis quicumque hominis cum bruto, aut (infandum!) cum dæmone incubo, vel succubo. II. Sodomia perfecta est concubitus carnalis hominis cum homine ejusdem sexûs, &c. III. Concubitus innaturalis, vel sodomia imperfecta est coitus hominum diversi quidem sexûs, sed non servatò debito vase, &c. phui monstra infanda! Apage. IV. Mollities est procuratio pollutionis voluntaria in se vel in alio, extra aliquem concubitum, solius voluptatis gratiâ. Omnia peccata mortalia gravissima. Quin pollutio directè voluntaria, procurata vel quaesita peccatum mortale est inexcusabiliter, etiam ad mortem evadendam: indirectè verò causata tunc tantum peccatum mortale est, quando causa posita pollutionis prævisa, seu actio illa, ex qua prævidetur secutura pollutio, est peccatum mortale in genere luxuriæ: utpote aliquid per se turpe, & naturâ suâ multum provocans libidinem, ut turpes cogitationes, aspectus, & maxime tactus partium inhonestarum. Quando verò causa posita vel actio illa non est peccatum in genere luxuriæ, ut nimius potus, vel esus calidorum, &c. tunc pollutio prævisa, sed minime intenta culpam venialem non excedet. Denique quando causa posita seu actio illa est omnino licita, necessaria, vel utilis, utpote studere, Confessiones excipere, mederi, equitate, certo & comodo situ in lectu accumbere, &c. dummodò semper absit periculum consensûs, tunc pollutio prævisa, ac præter omnem intentionem merè natura-

toraliter secuta nullam culpam adferet, ut alibi
jam sæpius monuimus.

VIII. IMPUDICITIA generatim dicitur vo-
luntaria occupatio potentiæ circa provocan-
tia ad libidinem: & quadruplex distingui potest:
scilicet *cordis, oris, aspectus, tactus*, quò spectant
ocula, & amplexus. Sed de his sufficiens men-
tio facta capite præcedenti toto, & cap. 2. num.
18. & latè 19. & ex professo p. 4. *Theol. Sacram.*
c. 3. Sect, 6.

§. IV.
Invidia.

I. **D**efinitur: *Odiu aliena felicitatis. Tristi-67*
tia de bono alieno inordinata. Sed Cla-
rissimè ex *D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 1.* Invidia est
tristitia de bono alieno æstimato ab invidente ut
malo proprio; quatenus scilicet minuit, & obscu-
rat propriam invidentis excellentiam: quo, licèt
simillimum, tamen differt ab odio proximi. Odio
enim quis malè vult proximo, gaudet de ejus ma-
lo, & consequenter etiam tristatur de ejus bono,
sed absolutè, & in ordine ad ipsum tantum pro-
ximum, quatenus nim. proximi bonum est. In-
vidia autem solùm tristatur de bono proximi non
absolutè, sed in ordine ad ipsum tantum inviden-
tem, quatenus nimirum invidus bonum proximi
æstimat malum proprium. Est ergo invidia ge-
nuina proles superbiæ, cujus inordinatio consi-
stet in hoc, quòd quis ita inordinatè amet, vel ap-
petat sibi propriam excellentiam in bonis veris,
vel fictis, ut nolit ejusmodi, vel similia bona in-

Nn 5 esse

esse proximo suo: indéque, si videat ea proximo inesse, invidet, tristatur, ac velut ringitur amarulento affectu. Præclare D. Augustin. *lib. 11. De Genesi ad litt. c. 14. Amando quisq; excellentiam suam, vel paribus invidet, quòd ei coaquantur: vel inferioribus, ne sibi coaquantur: vel superioribus, quòd eis non coaquantur.*

II. Invidia peccatum mortale est ex genere suo, secundùm omnes. Duplicem enim malitiam involvit: unam contra charitatem proximi: alteram specialem contra voluntatem DEI; cùm enim voluntas DEI sit immediata causa distributionis bonorum ac donorum omnium, voluntati DEI repugnare convincitur, qui invidet, & tristatur de bono vel dono proximo à DEO collato: ideòque peccare mortaliter, nisi parvitas materiæ vel imperfectio actûs excuset. Sunt enim quidam naturâ proni in invidiam (quod etiam in brutis advertimus) adeòque facile moventur invidiâ in proximum. Qui motus, si rationem omnîò præveniant, culpâ vacabunt; si aliqualis semiplena tantùm advertentia accedat, venialia evadunt; juxta superius dicta. Nam, uti etiam advertit S. Thomas cit. q. 63. art. 3. constat aliquos primos motus invidiæ inveniri quandoque etiam in viris perfectis, qui sunt peccata venialia. Similiter, ob levitatem materiæ, proximo solum leve aliquod bonum, lucrum, fortunam, &c. invidere, non tamen animo invidendi etiam majora, vel quævis bona (NB.) non nisi veniale erit.

III. Invidiæ ergo peccati gravitas mensuranda est

est ex magnitudine boni corporalis vel spiritualis, quod invidetur. Hinc omnium gravissima est invidiæ species, atque peccatum in Spiritum sanctum, quod dicitur *fraterna charitatis invidentia*, quæ scilicet ipsa bona spiritualia, ac dona Spiritus sancti, atque adeo ipsam charitatem, & gratiam DEI, virtutem & sanctitatem proximo quis invidet: qui nimirum illa propriam suam excellentiam minuere, sui vilipensionem causare, aut certe vitam, & actus suos redarguere, & condemnare videt, vel æstimat. Unde odium, detractiones, temeraria judicia, persecutiones bonorum. Talis fuit invidia mortifera Cain occidentis fratrem suum Abel, de quo 1. Joann. 3. *Hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem justa.* Simili invidia rabiæ clamant impii Sap. 2. *Circumveniamus hominem justum, quoniam dissimilis est operibus nostris. Gravis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius.* Vide S. Augustinum l. 1. De Sermone Domini in monte. c. 43.

IV. Invidia denique jure optimo computatur inter peccata capitalia: quippe plurimorum, & omnium ferè peccatorum contra proximum caput & causa. Ejus à D. Gregorio quinque assignantur filix. 1. Odium, quo quis mala vult illi, cui bona invidet. 2. Susurratio, quæ apud alios invisum reddere molitur eum, cui invidetur, adeo.

adeoque amicitiam dissolvere. 3. Detractio, quâ famam denigrat bonam, quam proximo quis invidet. 4. Exultatio in adversis. 5. Afflictio in prosperis proximi. Et hæc est pœna continua invidi, quâ suo livore tabescit, ac velut serpentina morsitatione cor exedit. Psalm. 111. *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet. Desiderium peccatorum peribit.* Et optimè D. Damascenus orat. 27. inquit: *Solum in omnibus affectibus iniquissimus simul, & aequissimus invidia est. Iniquissimus, quia bonis omnibus adversus est. Aequissimus, quia dominos suos exest, & conficit.* De his iterum vide *Tract. 2. c. 6. Sect. 4.* ex professo fusè.

§. V.

Gula

681. **D**efinitur: *Inordinatus, seu immoderatus appetitus, ususque cibi ac potûs.* Hujus quinque modos seu gradus ex D. Gregorio assignat *S. Thomas 2. 2. q. 148. art. 4.* 1. Quoad *substantiam* cibi ac potûs, nimium lauta, & exquisita appetendo. 2. Quoad *quantitatem*, ultra naturæ ordinariæ appetitum sumendo, ac ingurgitando. 3. Quoad *qualitatem*, & excessivam præparationem, nimis delicata appetendo. 4. Quoad *tempus*, nim. tempore indebito comedendo & bibendo, aut excessivè protrahendo vel multiplicando commestationes. & potationes. 5. Quoad ipsam *delectationem* gustûs, in ea sibi nimium complacendo aut nimis avidè, & impotentè vorando, potando, &c. Gulae ergo duæ sunt
spe.

Species quasi, seu filiae: commessatio & potatio, per excessivam frequentationem: & ebrietas ac crapula, usque ad rationis privationem seu perturbationem, de qua infra.

II. Gula, commessatio, potatio, ex genere suo peccatum solum veniale est, juxta regulam traditam *suprà c. 5. num. 31.* Quia nimirum excessus in re aliàs indifferenti vel licita, non nisi venialis culpa est. Per accidens tamen peccatum gulæ mortale evadit multipliciter. 1. Ratione enormis excessus, & deformitatis contra virtutem temperantiæ, quâ homo statum naturæ rationalis enormiter, & horrendè deturpat: ut maximè, qui scienter & ordinariè se infarciunt, & ingurgigant usque ad vomitum: qui ex proposito commessant & potant, ut vomant, & vomunt, ut rursus commessare, & potare possint. Sanè ratione hujus enormis deformitatis, gula & commessatio in sacra Scriptura numarantur inter peccata mortalia. *Rom. 13. Gal. 5. 1. Petri 4. & in Epistola Juda v. 12.* Dixi tamen, *scienter & ordinariè.* Nam si subinde fieret, à mortali excusant *Navarrus, Toletus, alii,* non dissentiente *Layman. l. 3. sect. 4.* II. Ratione gravis nocumenti corporis, ut qui ob nimiam ingluviem, sciens & advertens, vel advertere debens, graviter lædi valitudinem corporis. Nam *propter crapulam multi perierunt Eccli. 37.* III. Ratione gravis nocumenti animæ: ut cum quis advertens nimia ingluvie delicatorum sibi causari graves motus libidinosos cum periculo consensûs, se ineptum reddi ad functionem

ctio-

Etiones necessarias, aut executionem aliorum
 præceptorum, &c. & universaliter omnes, quo-
 rum tōta cura est in cultu ventris, ac ut describit
 Apostolus, *quorum DEUS venter est.* IV. Ra-
 tione præcepti specialis, aut positivi, ut frangere
 jejunium; aut naturalis, ut comedere carnem
 humanam: quod quidem etiam in extrema neces-
 sitate famis licere negant *Victoria, Valentia, alii*
apud Layman. cit. n. 3. Qui tamen cum aliis
 communius censet licere. Quia licet aliqua ab-
 solutè sint aliena à natura, & ratione humana;
 ideoque lege naturali verita, tamen in extrema
 necessitate permilla sunt: ut abscindere mem-
 brum pro tuenda vita, &c. ita etiam dicendum de
 comestione carnis humanæ, si habeatur jam mor-
 tua: nullo enim casu licebit ad hunc finem occi-
 dere.

Ebrietas

69 III. **D**efinitur: *Excessus voluntarius in potu
 inebriante, voluptatis gratiâ usque ad
 privationem, vel gravem perturbationem usus ra-
 tionis:* Dicitur I. *Excessus voluntarius.* Excludi-
 tur omnis ebrietas ex errore, vel inadvertentiâ
 proveniens, ideoque involuntaria; ut contingit
 iis, qui ad lasciviam naturæ bibentes, ex mera
 debilitate naturæ, vel potius malitiâ inebriantur:
 qui fortitudinem vini non nôrunt, aut alia de cau-
 sa futuram ebrietatem prævidere vel advertere non
 potuerunt. Tunc enim committitur peccatum
 ebrietatis, quando quis advertens periculum pro-
 babile imminentis ebrietatis, esto primò post ho-

ram

tam, vel cum in liberum aërem exeuntem secutura sit, nihilominus liberè potare pergat: bestia est, si etiam intendit. II. *Voluptatis gratiâ.* Ob alium enim finem honestum, v. g. ad recuperandam sanitatem, vel dum ustio, fectio, aliâve enormis medicina sustinenda est, licitum est forti hau-
stu se inebriare. Neque enim tunc absurdum iudicatur recta ratio ad breve tempus usu rationis destitui (quod etiam in somno accidit) ut reparatâ valetudine, munera rationis rectius præstentur. Addit *Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 4.* etiam licitum fore se inebriare ad evadendam mortem intentatam, nisi propinanti respondeas. Sed apertè repugnat D. Augustinus *Serm. 232. de temp.* dicens: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, au-
bibas, aut morieris: melius erat, ut caro tua sobria
occideretur, quam per ebrietatem anima morere-
tur.* III. *Usque ad privationem usus rationis.* Quod si enim, stante usu rationis sufficiente, solum phantasia nonnihil turbata sit, etiamsi lingua titubet, pedes vacillent, oculi duplicata aspiciant, fenestræ circumagi videantur, imperfecta erit ebrietas, & peccatum veniale, etsi unum de gravioribus, si deliberatè fiat. IV. *Vel gravem perturbationem rationis;* ut nim. homo amplius discernere inter bonum & malum, & actiones suas ordinarias saltem dirigere nequeat (nam perficere non posse, ex ebrietate etiam imperfecta oriri potest) Nam certè ad ebrietatem perfectam, & mortalem requiri non videtur, ut usum rationis omninò tollat, & planè brutum, vel truncum efficiat.

ficiat. Pudendum est aliquorum exemplum
Eum, qui ebrietate velut sepultus jacet in platea,
si se movere possit, ne super eum currus transeat,
aut saltem signum dare, ut currus aliò divertat,
non esse perfectè, vel mortaliter ebrium. Non-
ne hoc brutum facere potest? in quo ergo rationis
usu talis differet à bruto? Sic ergo explicata

IV. Ebrietas perfecta est peccatum mortale.
Communis & recepissima doctrina cum *S. Tho-*
ma 2. 2. q. 150. a. 2. Certè sacra Scriptura, *Gal-*
lat. 5. 1. Pet. 4. ebrietatem absolutè numerat inter
peccata mortalia. Ratio autem est. Quia gravis
reverà deformitas est, & grande malum, ipsique
Deo valdè injurium, imaginem Dei ita deturpare,
& objectâ rationis potestate, quâ nihil in homine
præstantius, ad brutorum stupiditatem, solius vo-
luptatis gratiâ, ultrò se abjicere. Cum ergo ebrie-
tas per se intrinsecè mala, & peccatum mortale sit,
evidens sit, peccare mortaliter eos, qui alios jussu,
suasu, propinationibus ad se inebriandum indu-
cunt, & urgent, unde & SS. Patres tales graviter
reprehendunt. Quin etiam illicitum manet al-
terum inducere ad ebrietatem formalem, & vo-
luntariam: non item ad materiale tantum, ut
pote propinando vinum fortissimum, cujus vir-
tute incognita, præter intentionem, adeoque sine
peccato inebrietur, ad evitandum gravissimum
malum, v. g. proditionis, homicidii, &c. Ut
contra *Less. supra cit.* probabilius docent *Laym,*
l. 3. sect. 4. n. 4. Quia universaliter nunquam
licet hominem inducere ad aliquam actionem,
quæ

quæ intrinsecè mala est, ut sine peccato fieri non possit: talis est ebrietas voluntaria solius voluptatis gratiæ: ergo &c. Licitum quidem est inducere alterum ad minus malum, ut impediatur majus malum ab ipso intentum, & aliter non impediendum: sed tunc tantum, quando minus malum formaliter vel virtualiter includitur in illo majori malo: sic volentem furari mille, occidere, adulterium committere, rectè dehortaris, & inducis ad potius furandum centum, percutiendum tantum, teortandum &c. Tunc enim non suades homini directè, ut malum faciat, sed solum dehortaris, ne tantum malum faciat. Falsum autem est licere aliquem ad evitandum peccatum majus, inducere ad aliud peccatum minus, quod ille committere nec formaliter, nec virtualiter decreverat. Hæc enim esset vera inductio ad malum peccati, & scandalum activum, intrinsecè malum, de quo suo loco. *Tr. 5. c. 1.*

§. IV.

Ira.

Definitur communiter: *Inordinatus appetitus vindictæ.* Sed explicatius *Marchant. Tribun. tom. 2. tract. 6. tit. 2. q. 2.* Commotio inordinata animi, vindictam, vel quasi vindictam inordinatè appetentis. Iræ enim peccaminosæ duplex est inordinatio. Una ex parte ipsius motus iræ, seu modi irascendi, ut si nimium interius exardescas, vel exterius per signa nimis patefacias: altera ex parte objecti, seu vindictæ, ut si proximo appetas vindictam injustam, vel justò majorem.

II. Ira inordinata primo modo, quoad motum passionis, seu modum irascendi nimium, est peccatum veniale ex genere suo. Est enim excessus voluntarius in passione animi de se indifferente, quippe quæ etiam bona & virtuosa esse possit, ut si eâ uramur ex motivo virtutis, & zelo justitiæ, ad propulsandum vel vindicandum malum peccati in nobis vel aliis nostræ curæ commissis; juxta illud *Psal. 4. Irascimini, & nolite peccare.* Excessus autem vel inordinatio in re indifferente per se culpam venialem non excedit, juxta regulam jam sæpius repetitam. Rectè tamen docet *Mar. chant. cit.* iram etiam hac inordinatione motus, etiam seclusâ vindictâ injustâ, evadere peccatum mortale ratione enormis excessus, & deformitatis in irascendo, cum quis deliberatè, sciens & volens motus iracundiæ adeò excrescere finit, vel facit, ut erumpat in enormes gestus, clamores, tussiones, spumas, membrorum contorsiones, ut gravissimâ injuriâ hominis constitutionem afficiat; talis utique peccat mortaliter: quia imaginem Dei, ac creaturam rationalem enormiter dehonestat & deturpat, maximè que agit indecenter substantia rationali. Unde SS. Patres passim docent per iram hominem mutari in feram: imò in dæmonem. Et rectè tres solent assignari iræ species. *Rancor, Insania, Furor.* Rancor est ira, quatenus causat & continet internam indignationem aversionem, odium, vindictam &c. Insania, quatenus mentem rationis usu privat: Furor quatenus in ejusmodi inordinatos & enormes motus erumpit.

III. Ira

III. Ira inordinata secundo modo, quoad inordinatum appetitum vindictæ inferendæ, est peccatum mortale ex genere suo; quippe directè repugnans Charitati, quatenus proximi inordinate malum appetit: ac etiam iustitiæ, si actu in injustas vindictas erumpit. Hujus communiter quatuor assignantur gradus. I. Cum quis appetit vindictam in immeritum. II. Etsi in meritum, tamen ultra meritum. III. Etsi in quomodocunque meritum, tamen præter ordinem; ut si inimico appetas vindictam vel pœnam propria autoritate per te infligendam. IV. Etsi omnibus his servatis, tamen appetatur vindicta non ad debitum finem, ut iusta est, ex zelo iustitiæ, ac odio iniquitatis, sed mere ut satiativa animi tui malevoli, ex odio personæ, amore proprio, vindicandi libidine.

IV. Ira utrovis modo inordinata meritò computatur inter peccata capitalia, quippe plurimorum peccatorum, ac malorum caput & origo, quæ nimis nota. Sex tamen ejus peculiare filia ac soboles enumerantur à D. Gregorio l. 31. Moral. c. 17. nim. Indignatio, tumor mentis, clamor, contumelia, rixa, blasphemia. Ira enim aut remanet intus in corde: & sic nascitur *indignatio*, seu averlio & affectus inordinatus in proximum, ex eo, quod apprehendat se indignè à tali tractari. Et consequenter. 2. nascitur *tumor mentis*, quò quis morosè excogitat diversas vias vindicandi, iisque cogitationibus animum tumefacit & inflat: & tunc est peccatum pro ratione vindictæ cogitatæ gravis, vel levis, mortale vel veniale. Indignatio
 Oo 2 autem

autem plerumque veniale est, nisi ad gravem proximi contemptum procedat. Aut ira ulterius erumpit in os: & sic nascitur tertio *clamor* indignationis index, cum iratus vocem tollit, multa inordinatè & confusè effundens: id Christus Matt. 5. significat per verbum *raca*, quod nihil distinctè significat, sed solum motum indignationis exprimit. Et hic clamor per se peccatum veniale est. Consequenter autem 4. nascitur *contumelia*. interni contemptus index, quâ quis proximo malum obijcit intentione illum inhonorandi: quod Christus expressit per verbum *fatue*, quo omnis contumelia aperta significatur. Peccatum mortale ex genere suo. Aut ira erumpit in ipsum opus, & actualem vindictam: & sic 5. nascitur *rixa*, percussio, vulnera, cædes. Et consequenter, maxime si vindicta non succedat. 6. etiam *blasphemia* in ipsum Deum. Omnia mortalia ex genere suo: de his nulla controversia.

§. VII.

Acedia.

7. **T**Riplex distingui debet, naturalis, moralis, capitalis. 1. Acedia naturalis, alia est merè corporalis, & definiri potest: Torpor & hebetudo quædam virium naturalium deficientium respectu laboris suscipiendi, orta nimirum ex ipsa complexione corporis malè affecta: res nimis nota. Alia dicitur sensualis, estque passio, seu tristitia appetitus sensitivi laborem, seu difficultatem operis refugientis. Ex eo enim, quod appetitus naturaliter fertur in bonum conveniens vel defectibile

ctabile sensui, naturaliter etiam ab omni
inconuenienti, vel molesto sensui, indeque tristi-
tia quædam & auersio à labore & difficultate ope-
ris. Acedia hæc naturalis utraque secundum se,
quamdiu merè naturalis, & nullo modo volunta-
ria est, nullo modo peccatum est, sed virtutis ac
meriti materia & seges. Facta autem voluntaria,
per liberum consensum voluntatis, jam evadet
acedia moralis. Itaque.

II. Acedia moralis & peccaminosa, rursus alia
est universalis, definiri solita: quidam remissi ani-
mi languor ad benè operandum in rebus salutis,
seu in exercitio virtutum, quatenus laboriosum &
difficile est: potestque versari circa quodcunque
præceptum vel virtutem: & sic non est speciale
peccatum; sed eatenus solum peccatum est, qua-
tenus causat transgressionem, vel negligentem
executionem præcepti vel virtutis; ac semper
idem numero cum ipsa transgressionem vel negli-
genti executione. E. g. Petrus ex acedia & tor-
pore proveniente ex apprehensione difficultatis,
consentit in omissionem, & omittit Horas, erit
idem numero peccatum mortale: Si solum ne-
gligentiùs & oscitantiùs persolvat, idem erit pec-
catum veniale. Quòd si verò stante illa acedia,
torpore, tristitiâ, nihilominus præceptum perfectè
impleat, etsi difficulter, acedia nullo modo erit
peccatum, sed augebit meritum. Alia est acedia
moralis specialis, etiam capitalis dicta, quæ inter
septem vitia capitalia ultimò locò numeratur: &
acedia

III. Acedia specialis & capitale vitium: est tristitia de bono spirituali ac divino, quatenus hominem attinet, seu quatenus ab homine prosequendum est: utpotè principaliter de ipsa gratia ac amicitia divina conservanda, & beatitudine consequenda per virtutum exercitia laboriosa: & consequenter, etiam secundario, adhibendis mediis ad illum finem. Et hæc acedia seu tristitia, omninò voluntaria ac delibata, est peccatum speciale, ac mortale gravissimum: quia directè repugnat Charitati divinæ, eamq; destruit, quatenus continet veram & actualem aversionem à Deo ultimo fine. Cujus signa pessima & effectus sunt: Amartitudo, tædium, acidus gustus mentis ad omnia spiritualia & divina, ac ipsam cogitationem Dei aversio à verbo Dei, ut non nisi cum tristitia quis audire possit de Deo, æterna beatitudine, salute procuranda; incuria salutis, tædium vitæ, & alia mox inter filias acediæ enumeranda. Cæterum constat etiam hanc acediam posse esse peccatum veniale ex imperfectione actûs, juxta dicta c. 5. n. 12. Similiter illa acedia vel tristitia, quâ quis non avertitur à Deo, sed stante efficaci voluntate tendendi in Deum ultimum finem per media congrua & opera salutis, solum inefficaciter ab eo fine abhorret ob difficultatem operum, eoque ea opera negligentius exequeretur, non esset nisi peccatum veniale. Talis enim tristitia non pugnat contra Charitatem, sed tantum contra modum Charitatis, scilicet fervorem.

IV. Acedia denique jure meritissimo computatur

tur inter peccata capitalia, & quidem postremo, id est, pessimo loco. Gravissimorum enim & extremorum malorum & peccatorum causa est. Eiusque speciales filiae à D. Gregorio enumerantur sex. 1. *Malitia*: quâ homo odio habet ipsa bona spiritualia secundum se; vellet ea non esse; dolet, quòd benè fecerit; cuperet non fuisse natum vel creatum à Deo; non agnovisse Christum, adeoque ipsa beneficia Dei contemnit. Malitiae sine dubio mortales, nisi imperfectio actûs excuset. 2. *Rancor*, quo ii sunt fastidio, qui horrantur ad spiritualia; ut Confessarii, Concionatores, Religiosi. Est ex se veniale, nisi jungatur cum odio. 3. *Pusillanimitas* erga omnia bona spiritualia tanquam ardua, ea refugiendo, ab iis se subtrahendo &c. est etiam de se veniale, seclusa transgressione mortali alicujus præcepti. 4. *Desperatio* consequendæ beatitudinis; peccatum mortale gravissimum, si pleno rationis consensu fiat. 5. Torpor in observantia divinorum præceptorum. 6. Evagatio mentis ad illicita. De his vide *S. Thom. 2. 2. q. 35. Laym. l. 2. tract. 3. c. 9. Marchant. Tribun. tom. 2. tit. 4. sect. 1. q. 3. S. 2.* Et hæc hæctenus in hoc Tractatu Procemiali pro apparatu & faciliiori ingressu ad ipsû Decalogum ita latè satis dicta Studioso Lectori sufficiant.

AD LAUDEM

DEI OPT. MAX.

Amen.

Oo 4

AP.